



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

19. An etiam illis quos ante vnam aut alteram horam vidit potu obrutos?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

254 DE NECES. ET MOD. MINIST.  
tius durante morbo confessus, semper ostendit huiusmodi contritionis signa.

### QVÆSTIO XIX.

*An etiam illos, quos ante vnam aut alteram horam vidit potu obrutos.*

Quæstionis explicatio.

**D**iximus in præcedentibus, plerosque tempore pestis genio indulgere, & potu se obruere, quo ab hoc morbo contagioso præseruentur, quanquam, vt antea obiter diximus, (a) impie & stulte. Impie, quia vbi Deum propter peccata nostra iratum placare deberent, iram illius prouocant, peccata peccatis cumulando; Stulte vero, quia ex medicorum sententia & experientia teste, sicut notauit (b) Maior, excessus potus, sicut & ventris, morbum hunc non impediunt, sed accendunt: Horum occasione quaeritur, an pastor, si vocetur ad peste infectos, quos nouit à pluribus diebus vel hebdomadis potu se ingurgitare, & genio indulgere, teneatur accedere, & sacramentum ministrare, an vero ab huiusmodi administratione excusetur?

*Responsio.*

**T**enetur, si probabiliter constet, eos sufficienti v sui rationis restitutos, quia quouiscunque homo habet rationis vsum, potest

a *Enbr. Biel*  
*in q. de fuga*  
*pestis.*

b *In 4. dist.*  
*p. q. 21*

est legitime per pœnitentiam conuerti, & facere se capace absolutionis: ergo pastor tenetur illi adesse, præsertim in eo articulo, in quo potest probabiliter timere, huiusmodi homines esse in graui, imo extrema necessitate spiritali. Confirmatur primo, quia ad veram pœnitentiam & conuersionem non requiritur, nisi Dei auxilium, cui homo cooperetur: Confirmatur secundo, quia in hoc differt vitæ præsentis status, ab illo qui est in futura, quod homo, quâdiu in hoc sæculo viuit, habens vsu[m] rationis humanum, & liberum, potest manum vel ad bonum vel ad malum porrigere.

Vnum tamen aduertendum est, quod quamuis hæc vera sint, debeantque pastores ex quauis (a) probabili ratione se inclinare ad ministrandum sacramenta, per ea, quæ ante diximus: periculosissimâ tamen in eo articulo esse huiusmodi hominû pœnitentiam, de ea enim sic (b) D. Augustinus: *Si quis (inquit) positus in vltima necessitate, aegritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit.* Est formidolosa tanti viri sententia, cui cõsentiunt & aliæ eiusce generis veterû Patrû innumere, quas p̄ beuritate nobis p̄posita omittim.

Dixi

*a Palud. in 4<sup>to</sup> dist. 9. q. 4.*

*b Lib. 50. h. miliar. hom. 4<sup>to</sup>.*

Dixi (*si probabiliter constet, eos sufficienti vsum rationis restitutos*) quia alias non tenetur accedere, cum non sint capaces sacramenti.

Dices: Quibus signis cognoscet pastor an huiusmodi habeant sufficientem vsum rationis ad disponendum se ad hoc sacramentum?

R. 1. Si respondeant ordinate ad interrogationes sibi factas. 2. Et maxime si cordato modo procedant in petenda & agenda poenitentia.

Dices 2. Quid si ostendant exteriora signa poenitentiae, & confiteantur ebrietates suas, & alia peccata, dubitet nihilominus pastor, num habeant sufficientem vsum rationis, & habet pro vtraque parte rationes probabiles?

R. Tenebitur accedere, & illis ministrare sacramentum, saltem sub conditione tacita vel expressa, vt iam aliquoties in similibus casibus ostendimus.

## Q V Æ S T I O XX.

*An etiam suis Concubinis?*

Quaestionis explicatio.

**V**eritum est statutis synodalibus diocesis Leodiensis, sub poena excommunicationis